

licet cum Venere tuebuntur natum à periculo, Iupiter in distantia duodecim graduum, Venus octo graduum, similiter liberant natum applicatione locali, siue radiorum projectione super locum interfectoris, dummodo interfectoris & significatoris latitudo fuerit diuersa.

Cum stellæ adiuuantes, uel saluantes, aut interficientes duæ uel tres fuerint in unoquoque istorum locorum duorum ex applicatione uel radiatione, conuenit ut id quidquid ipsorum duorum secundum rerum adiuuantium, uel sui ipsius fortitudinem fortius est consideremus. Si enim interfectorem radiatione sua, tum aliarum stellarum subsidio, in interueniendo fortior liberatore fuerit, mortem nato futuram prædices. Si autem liberator radium porrigens, aut per corpus applicans, interfectore ipso existat fortior, tum ratione sui, tum ratione auxiliorum, liberabit natum à periculo, aliquando in parte, aliquando in toto, dummodo planeta liberans, præualeat, interfectore ipso existente debili, aut ratione combustionis, aut retrogradationis, uel aliarum accidentium in parte. Quapropter eorum qui sunt sub radijs, in occidendo, iuuando, uel saluando nos nihil obseruare conuenit, nisi quando Luna fuerit Hylech, tunc enim locus Solis erit interfectorem, & infortuna quæ in Solis subradijs fuerit, dummodo planeta liberans Solem, eum non intueatur.

Directiones ad loca, aliquando in puncto ueniunt, aliquando frustrantur, aliquando antecedunt, aliquando sequuntur, nunquam tamen limitè annorum excedunt. In puncto eueniunt, dummodo significator cum promissore qualitatem contrariam in natura habuerit. Interfectorem autem planeta uictoriam omnimodam unus super alium obtineat. Frustrantur autem, quando promissor retrogradatione, aut combustione comprimitur. Antecedunt, quando stellæ adiuuantes interfectorem, influxum suum prius inducunt ex applicatione radiationum præcedentium applicationem significatoris cum interfectore, & uincuntium suo influxu directionem interfectoris. Quare antequam directio potentialis significatoris ad interfectorem peruenerit, natus successiue debilitatur. Quando autem significator interfectori potentialiter coniungitur, mox natus spiritum emittit, ut experimur in illis, qui interficientibus radijs Saturninis affliguntur, qui licet ad tempus à periculo mortis liberentur, raro tamen pristinae restituuntur sanitati. Sequuntur autem, quando beneuolæ stellæ proijcientes suas radiationes super locum interfectoris, sua uirtute uincunt maliciam interfectoris. Tunc ad tempus uitam nati prorogant. Sed postquam maleuolæ stellæ uim suam interfectori porrexerint, & uictoriam super liberantem stellam obtinuerint, mox interficiunt natum. Simili modo constituentium dignitatem, substantiarum adeptionem, & fortunarum aduentionem intellige. Aliquando enim in puncto directionum dignitas euenit, aliquando frustratur. In puncto eueniunt, dummodo significator cum promissore in gradu directorio aliquam habuerit conuenientiam. Frustrantur dum promissor combustione infestatus fuerit, in nullo obtinens auxilium beneuolarum stellarum &c.

Radij, seu aspectus dextri debiliores sunt sinistris, ideoque directiones significatorum cum perueniunt ad dextros radios promissorum quiddam imbecillius efficiunt, præsertim uerò denotant quæ patienda sunt nato, ut sunt pati accidentia.

Contra, directiones ad sinistros radios efficaciores sunt, & ea significant quæ natus agere debet, & hoc modo directio dextra imbecillior censenda est, quàm sinistra, & hæc actiones nati, illa uero quæ ab alijs rebus, uel personis nato perferenda sunt, significant.

Proinde constat directionem sinistram, ad sinistros radios maximè, efficaciorrem esse, & ex ea de nati actionibus ferendum iudicium. Ad dextros autem radios tam de actionibus quàm passionibus nati. Simili ratione patet quomodo dextra directio